

Lunae die 19° m. Iunii a° 1989°
A.d. XIII Kal. Iulias MCMLXXXIX

Correktur
N^{US} 30^{US}

M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix Responsalis: Diana LICOPPE - avenue de Tervueren, 76-1040 BRUXELLIS

TEL: 02 / 734 55 42

UNDIQUE SPES NOVAE...

Tanta est copia scriptorum in Melissa divulgandorum ut vix mihi tribui possit hic coartatus locus in prima pagina. Paucissimis ergo pauca referre velim.

Ineunte mense Maio docentium consociationes Cadomensis Ambianensisque, quibus singulis praesunt Patricius Bougy et Iohannes Iacobus Bertrand, triduum paedagogicum in oppido Chantiliaco (Chantilly in Francogallia apud Parisios) instituerunt, cuius thema erat «Langues anciennes et communication», id quod Latine his verbis explicari potest: «Quid linguae antiquae ad communicationem pertineant». Ibi docentes qui sive in schola sive in studiorum universitate iam experientia rettulerunt. Postea faciendam de usu linguae bus usque ad nostram aetates hodiernorum invitati sunt ad exploroskopus suorum in Dr P. C. Eichen-pro Voce Latina gallice pro Melis-potuerat inter teburgensem generalis (nov. 87), obstantibus. Tridui autem Latinitatem vivam, non respuisse, cum suffragio anno seminarium tur etiam in Francogallia.



Ante duo milia annorum puer quidam has duas naves delineavit in muro villaे Stabianae (prope Neapolin) c.n. Ariana.

1990° m. Aprili habebitur Hammaburgi

conventus philologorum consociatorum (DAV), cui thema «Antiquitas vis generabilis Europæ»; qua occasione data fiet seminarium cooperarium, ubi disputabitur de loquela Latina viva in discipulorum institutione habenda. Hic nuntius tanti est momenti, ut nobis utile visum sit totum folium nuntium separatim huic fasciculo subiungere.

Ergo undique spes novae...

UNIVERSITAS GRANIVICENSIS

DOMICILIUM LATINITATIS VIVAE ET HUMANAEC ARCHITECTURAE

Thomas Pekkanen lectoribus Melissae iam notisimus est fautor vivae latinitatis. Quoniam eius institutum classicum in Universitate Granivicensi (Jyväskyläensi) situm est, ego campum illum universitarium et eius monumentalem architecturam paucis verbis in paginis Melissae exponere velim.

«Cunae scientiae et artis»

Granivicus (Jyväskylä), caput mediae Finniae, vulgo Athenae terrae nostrae appellatur. Nam ibi nomina Finnica, quae «scientiam» et «artem» significant, creata sunt (Finnice sc. «tiede» et «taide») a medico linguae Finnicae amantissimo, nomine W. Schildt-Kilpinen. Ideo Elias Lönnrot, compositor Kalevalae, Granivicum per iocum Athenas Finniae, id est «cunas scientiae et artis» nominabat. Praeterea urbs illa variis scholis culturae Finnicae destinatis abundat. Saeculo proximo praeterito Granivici fundatum est seminarium, in quo ludi magistri erudirentur. Anno 1934 id in formam Academiae paedagogicae redactum est, quae deinde anno 1966 in universitatem scientiarum amplificata est.

tor huius textus et quidam iuniores. Non sumus multi, sed eo aciores.

Campus universitatis facit in hortis media urbe sitis, ut fere Academia illa Platonis. Illic etiam feriae culturales, quibus nomen est Aestas Granivicensis («Jyväskylän Kesä») usque ab anno 1956 sollemniter quotannis celebrantur.


Architectura regionalis et universalis

Architectus moderni campi universitatis, Alvarus (Alvar) Aalto (1898-1976) est sine dubio notissimus Finnus iuxta musices compositorem Iohannem (Jean) Sibelium (1865-1957). Cum architectus ille sexto decennio huius saeculi parentes meos Granivici visitaret, dicere solebat - ut vivissime recordor - se opus latericum Romanorum antiquorum valde admirari. Hoc ipsum ex illis aedificiis universitatis latericiis appareat, quae circiter annis 1952-1962 exstructa sunt. Situm eorum architectus ita constituit, ut aedificia in formam litterae U vel soleae equinae collocarentur et campus corporis exercitationi destinatus in medio relinquatur (vide imaginem).




Aalvarus Aalto, architectus Finnus, qui inter alta et aedificia moderna Universitatis Granivicensis delineavit. Imaginem fecit Taurus Oksala.

Primus professor linguae Latinae fuit pater meus beatae memoriae Päivö Oksala (1907-1974), ardentissimus fautor vivae latinitatis, cui deinde Thomas successit. Ceteri latinistae sunt Ericus Palmén et Gregorius Pitkäranta - Melissanis iam noti - et scrip-



Summa complexus est moles latericia monumentalis (A), quae auditorium aulamque continet. In eius fronte patet area porticu elegantissima ornata (B). Aalto se amare confirmabat primam renascentiam, maxime quidem architectum Brunelleschi et illius Capellam nomine Pazzi Florentiae sitam. Namque semper prospectus mediterraneos quaerebat.

In aula festiva (A) duo theatra flabelli formam imitantia et desuper illuminata aliud post aliud collacata sunt ita, ut separari et contungi possint. Sub his auditoris ambulatorium est, ubi spatiū, ut ita dicam, in omnes partes fluit et parletibus transparentibus in naturam circumiacentem amplificatur. Columnae moderno more antiquas columnas imitantur.



Sectio graphica aulae festivae: auditorium maximum (A), ambulatorium (B), atrium scalis instructum (C).

In hoc aedificiorum complexu tria spatia inter se diversissima in unum magna arte confusa sunt: auditoria, ambulatorium, atrium altissimum desuper illuminatum (vide imaginem).



Atrium altissimum lumenaribus desuper illuminatum. Scalae monumentales ex marmore factae homines in tabulata superiore ducunt. Imaginem delineavit Taurus Oksala.

Ala autem meridiana continet instituta philologica (C), refectorium studiosorum (D), quod «Lozzi» secundum paedagogum illum Pestalozzi nominatur, nec non triclinium magistrorum (E) templo simile, quod vulgo propter formam «Lanterna» locose

nuncupatur.

Inter «Lanternam» et muros monumentales aulae festivae iacet, ut architectus dicebat, «area caeremonialis» (F). Id est tamquam ruinae theatri sub Iove sitae. Visitator quidam quondam dixit muros illos monumentales simillimos esse ruinis Romanis thermarum Antoniniarum - mea sententia recte.

Ceterae partes sunt Bibliotheca (G), Schola normalis (H), ubi candidati auscultantes docendo docere discunt, palaestrae in ala altera (I) - inter eas etiam aedificium trium piscinarum publicarum, ubi inter lectiones balneare et natare possis.

Architecti est homunculum defendere

Alvarus Aalto humanista architectorum nostrae aetatis iure appellatus est, quoniam semper vitam humanam contra nimiam technologiam defendebat: technician non ratiem esse reiciendam, sed pro humanitate usurpandam. Alvarus, cum sexaginta annos completeret (1958), dialogum Platonicum publicavit, in quo suam de his problematibus sententiam «spiritu tenui Graiae Camenae» exponit. Colloquium inter Sigfridum Giedion, historicum architecturae modernae, et Alvarum ipsum fit, sed medio sermoni etiam Socrates ille sapientissimus intervenit. Ego summam dialogi hic in Latinum vertere velim:

*GIEDION: Sed habemus etiam vivam, humana-
nam architecturam.*

AALTO: *Habemus quidem - sed quam dixi
inhumanam aedificationem ea apud similes
aura populari fructur. Et quod peius est:
eo fit, ut contrarium quaeratur, id est varie-
tas sine arte et iudicio. Habitationes subur-
banae cum diversis et adulteratis molibus
aedificiorum - varietas motuorum, quae sin-
gulari et naturali hominis ipsius variationi
non respondet. Plerumque sunt istae ut
expositiones commerciales, et in aedificiis
publicis exhibetur formalitas propagatione
levata - designatio industrialis et horrida
inconciinitas autoraedarum Americana-
rum. Infantes adulti arcubus et tensionibus
ludunt, quas non in potestate habent. Et
supra appareat mens et aura Hollywoodana.
Homo ipse oblitwione obrutur.
Et architectura - vera ars et nomine suo
digna - est ibi tantum, ubi homunculus ille in
medio est. Eius tragoeadia et eius comoedia-
ambae.*

Scripsi in urbe Espoo, quae in ora Sinus
Finnici non procul ab Helsinki iacet.

Teivas OKSALA



DE EPISCOPO PACIANO

De episcopo Paciano dicturus ab uno Hieronymo ex antiquis incipiam, haec etsi perpaucia referente: «Pacianus inquit in Pyrenaei iugis Barcilonae episcopus, castitate et eloquentia, et tam vita quam sermone clarus, scripsit varia opuscula de quibus est «Ceruuſ» et «Contra Novatianos». Sub Theodosio principe iam ultima senectute mortuus est¹. Pro *castitate et eloquentia* manuscripti nonnulli *castigatae eloquentiae* haud recte transferunt exarata.

Quo loco, quo anno, quibus parentibus Pacianus noster sit genitus, qua piissima coniuge generatus filius eius Dexter, ignotum. De filii nomine nos fecit idem Hieronymus certiores: «Dexter Paciani inquit de quo supra dixi filius, clarus apud saeculum, et Christi fidei deditus, fertur ad me omnimodam historiam texuisse quam nondum legi². Uxoratum virum Pacianum! Numquid sanctimoniae eius coniugali hoc obesse clamabis? «Tam vita quam sermone clarus» certe laudantis sunt verba, at non aliter scripta nisi ut locus communis de laude personae. Nam sic viros celebratos apud Ciceronem, Senecam, Tacitum aliasque quam plurimos invenimus³.

Theodosio a. p.Ch.n. CCCLXXIX imperium consecuto, libro *De viris inlustribus* a Hieronymo a. p.Ch.n. CCCXCII conscripto, hos inter annos Pacianum deceperisse comperies. Clarissimo L. Rubio auctore, tempora pressius definire cupienti sola via divinationis aperitur. Si ca. a. CCCXC ultima senectute obiit Pacianus, nulla est causa quin annus natalis sit ca. CCCX vel CCCXX computandus.

Virgiliū a parvulo didicerat ut ipse testatur. Rhetorem adtentius audivisse orationis ornatus ostendit. Dum pro catholico nomine ei verba facienti nostras aures praebemus adrectas, artem grammaticam penitus cognovisse miramur. V. Noguera⁴ existimat Pacianum nostrum, priusquam christianus esse coepisset, mensis adolevisse profanis, his ipsius episcopi verbis innixus haud recte: «Interea nos omnes sub peccato tenebamur ut fructus essemus mortis», et iterum: «ut sicut Christus resurrexit a mortuis, sic et nos in novitate vitae ambulemus, id est, ut depositis vitae veteris erroribus, idolorum servitute, crudelitate, fornicatione, luxuria, ceterisque vitiis carnis et sanguinis, novos per spiritum mores sequamur in Christo»⁵. Quae primae personae plura lita rhetorica potius quam propria interpretatione maluerim explicare.

Quo tempore scripta composuerit Pacianus haud certus inquiram. Le Nain de Tillemont⁶, quem ceteri sunt secuti, non ante annum CCCLXXVII epistulas exaratas esse contendit, eo quod prioribus in litteris de Apollinariacis haereticis, anno laudato damnatis, sermo sit factus. Quorum haereticorum apud Pacianum nullam invenies mentionem, dummodo cito ne legeris. Merito quidem V. Noguera pro *Apollinariacos Apellianos* legendum esse coniecit, quamvis vulgatum textum mutare non ausus esset. A. von Harnack⁷, qui *manuscripta tamen* nequivit inspicere, historica ratione deductus, omnium primus et unus hunc locum

Apelliacos legendo mendo purgavit. Reginensis codicis Latini 331 scriba *apelliacos* scripserat, sed Drepanius Florus, diaconus, Lugdunensis scriptorii moderator excultus et litteris perpolitus, ut saepe addens mendis menda maiora, *nari* supra lineam inmisit et *apollinariacos* sine iure correxit. At revera, codicis Reginensis aut eius archetypi librarius *apelliacos* in *apollinariacos* ut alibi *e* et *o* confusa legendo mutavit. Lectione ergo *apelliacos* genuina reparata, epistulis scribendis annus CCCLXXVII nulla omnino ratione fulcitur. Quae scripsit opuscula Pacianus Reginensi codice hoc ordine continentur: *De Paenitentibus*, *De Baptismo*, *Epistula Prima*, *Epistula Secunda*, *Contra Tractatus Novatianorum*. Sollicitae autem contrarie tatis adversis, *Cervus* apud Hieronymum, apud nostrum *Cervulus*, non ad nos usque pervenit.

Simpronianus novatianensis nobis esset prorsus ignotus, si numquam in Paciani epistulas incidisset. A Barcinone longe certo non absens, de catholico nomine et de venia paenitentiae ad Pacianum litteras destinavit, iaculans tela verborum. Simproniani sententiam teste Paciano «per totum orbem nullus inventus sit, qui te revinceret aut persuadere tibi posset contra quam crederes»⁸, ita accipio, ut securi potiusquam gloriantis animi esse videatur. L. Wohleb⁹ Simpronianum insignem novatianis Barcinonen sisbus praesidem fuisse contendit, ex eo quod curam tam diligenter Pacianus in penderet, ut eum sibi adduceret ad concordiam spiritalem, quippe cum Simproniani exemplum et auctoritas ceteros admoveret. Simproniani placita sic excipit Pacianus: «Tractatus omnis novatianorum, quem ad me confertis undique propositionibus destinasti, Simproniane frater, hoc continet: quod post baptismum paenitere non licet; quod mortale peccatum ecclesia donare non possit, immo quod ipsa pereat recipiendo peccantes»¹⁰. Fuit Simpronianus vir eloquens et excultus, ut ex his appareat, quae etsi forte non semper ad verbum Pacianus adducit. Cetera non habemus. Scandalum passus est, cum in Epistula Prima seu *De Catholico Nomine Virgilii* versum «et ceteri quos fama obscura recondit» mutato ordine deprehendit «et ceteri quos fama recondit oscura»¹¹, ita vero ut numerus eum sefelleste videatur, quem traiectis verbis obtinuerat Pacianus, ne solutae orationis finis esset herous.

Codicibus tribus Paciani opuscula ad nos usque perventa servantur: Reginensi scilicet Latino 331, Gratianopolitano 262, Parisino 2181. Reginensem Latinum hodiernis diebus Bibliotheca Apostolica Vaticana custodit, at olim in ignoto quodam Franciae coenobio reconditum Iohannes Tillius episcopus Briocensis detexit, a quo ~~ver~~ Paulus Pettau emisse non dubito¹². Postea autem Sueciae in scriniis Regiae Christinae potueris repattere. Codex hic Reginensis ca. a. DCCCXL Lugdunensi in Scriptorio Drepanio Floro genere forsitan Hispano moderante, ex veteri exemplari ab Hispanica Marca Lugdunum delato ut arbitror exscriptus est. Angulis hic illic ab ipso Floro textus includitur, quae excerpta in Floriana

Collectione ex Dictris XII Patrum parvissimis mutationibus aptata leguntur.

Principem editionem Iohannes Tillius anno Domini MDXXXVIII curavit, quam post annos XXVI Aldus Manutius Aldi Filius nonnulo cum librarii errore revocavit. Marguerinus de La Bigne in *Bibliotheca SS. Patrum* Tillium est secutus. Ab hac *Bibliotheca* textum Patrologia Migneana mutuata est. Quibus omnibus melior a. D. MDCCCLXXX Vincentius Noguera est habendus, labore atque doctrina. Clarissimus L. Rubio a. D. MXMLVIII opera omnia optime curavit edenda. Batavi Janus van der Vliet, Ph. H. Peyrot et doctissimus J. Ph. G. Borleffs, Germani Monacenses C. Weymann et A. Gruber optime de Pacianu sunt meriti. Italum Latino Latini minime praetermitterem.

K. Barthius Küstriensis *fibulam* apud Pacianum sensu germani *Fibel* intellexit, ita ut a vero non abesse videatur. Sic Pacianus: «Praeterea nullus existimet, hunc ipsum de paenitentiae institutione sermonem solis tantummodo paenitentibus ordinatum, ne propter hoc quisquis extra hunc gradum positus est, ea quaecumque dicentur velut in alios destinata fastidiat, cum in hanc quasi *fibulam* totius ecclesiae disciplina notetur, quando et catechumenis ne in hoc transeant et fidelibus ne in hoc redeant providendum sit.¹³ Medio saeculo V in *Computu Paschali Carthaginensi* eodem sensu similique syntaxi legimus in *fibulis adnotare*: «In fibulis triginta sequentibus adprobamus, in quibus... ducenta decem spatia invenies adnotata.¹⁴ Apud Pacianum in *hanc fibulam* et in *Computu Paschali Carthaginensi* in *quibus (fibulis)* id potissimum convenire monstratur, quod in uno et altero *fibula* cum verbo *notare* vel *adnotare* coniuncta est.

Etymologica vero Germanica lexica¹⁵, ut olim J. Fr. Gronovium¹⁶, *Fibel* a *Bibel* originem ducere repperimus, eo fulta praesertim quod pueri in schola tabella biblicis locis abundantii litterarum elementa doceantur. Etenim pueri ipso offensantis linguae fragmine dulciori verbum *Bibel* temptantes adblanda loqua *Fibel* efficiunt.

Vocem autem *Fibel* primum ineunte saeculo XV non vetustiora documenta testantur. In quadam enim Studiorum Ratione monialium clarissarum in Kibnitz in Rostock *Fibel* primum invenitur. Sed nec sensus obiurgationis seu ut ita dixerim *Strafpredigt** nostra non interest. Huiusmodi enim obiurgatio divinarum etiam Scripturarum auctoritate firmatur, non aliter ac Biblam in *De Paenitentibus* Pacianus adducit. Quid mirum si cum Barthio germanicum *Fibel* ex latino *fibula* ortum certo dicamus.

Primus certe nisi unus hispanici verbi *ablandar* originem Pacianus ostendit, ubi dicit: «ablandam huius mei operis ac sollicitam diligentiam, et secundum domini voluntatem a me ipso fratre vestro ac sacerdote susceptam, amorem potius credite quam rigorem, sequendo amabiliter, non pertinaciter repugnando.¹⁷ Iohannes Tillius in *ad blandam* ad perpetram selunxit a *blandam*, qua verborum mendosa divisione deflecti, editores quamplurimi *ad vel* omittendo vel uncis includendo quadratis immerito sustulerunt, et *blandam* pro *ab blandam* sine iure mutarunt.

* *homilia vicepatoria*

Legite Pacianum. Vestras aures et numero et sermone mulcebit, dummodo ne cito recitetis.

Angelus ANGLADA
Valentinus

Plura, amice, si scire desideras, precor evolve
L. RUBIO, *San Paciano. Obras*, Barcelona 1958.
V. NOGUERA, *D. Paciani Opera quae extant*, Valencia 1780.

Ph.H. PEYROT, *Paciani Barcelonensis Episcopi Opuscula*, Zwollae 1896.

Angel ANGLADA ANFRUNS, *Las Obras de Paciano publicadas por V. Noguera y Edición crítica del «Liber De Paenitentibus». Discurso leido en la solemne apertura del curso 1982-1983*, Universidad de Valencia 1982.

C. WEYMANN, *Berliner Philologischer Wochenschrift* XVI (1896) col. 1056-1059.

R. KAUSER, Vindobonensis, de clausulis scripsit *Studien zu Pacianus* 1902 et codices Vitry-le-François 2 et Vaticanum 6211 detexit.

A. GRUBER, *Studien zu Pacianus von Barcelona*. Diss. Monachi 1901.

J.Ph.G. BORLEFFS, *Zwei neue Studien Pacians?* Mn 7 (1939) p. 181 sqq.

1. *vir. inl.* 106.
2. *ib.* 132.
3. Cic., *Rep.* II 1; Sen. *Ep.* 75,4; 40,2; 114,1; Tac. *Ann.* 11,6. Hodie ex. g. Germanica lingua: «An der Rede erkennt man den Mann».
4. *D. Paciani Opera quae extant*. Discurso Preliminar p. VII.
5. Pac. *Bapt.* I 4; VI 5.
6. *Mémoires pour servir à l'histoire de l'Eglise* VIII p. 539.
7. *Marcion. Das Evangelium vom fremden Gott. Texte und Untersuchungen* XLV (1921) p. 339.
8. Pac. *Ep.* I, II 3.
9. L. WOHLB, *Bischof Pacianus von Barcelona und sein Gegner, der Novatianer Sympronianus: Spanische Forschungen der Görresgesellschaft. Reihe I. Band II* pp. 25-35.
10. *Tract.* I 1.
11. Virg. *Aen.* V 302. Pac. *Ep.* I 1,3.
12. K.A. DE MEYIER, *Paul en Alexandre Petau en de Geschiedenis van hun Handschriften (voornamelijk of grond van de Petau-Handschriften in de Universiteitsbibliotheek te Leiden)*, Leiden 1947 p. 80.
13. Pac. *Paen.* II 1. Quem locum apud K. Barthium invenies enarratum. Cf. *Advers. lib.* XLIII cap. XV col. 1957 s.
14. Br. KRUSCH, *Studien zur christlich-mittelalterlichen Chronologie. Der 84jähriger Österocyclus und seine Quellen*, Leipzig 1880 pp. 138-150.
15. F. KLUGE, *Etymologisches Wörterbuch der deutschen Sprache*, Berlin 1967 p. 196; A. EDBE, *Trübners deutsches Wörterbuch. In Auftrag der Arbeitsgemeinschaft für deutsche Wortforschung*, Berlin 1940 p. 340 s.
16. *Observatorium in Scriptoribus ecclesiasticis Monobiblos*, Draventiae 1651 pp. 193 s.
17. *Paen* II 1.



Clamor Archimedis

Dulcissimum est - non solum historicis verum etiam iis, qui in scientiis naturalibus versantur - horam determinare, qua aliqua disciplina orta sit, aut conditiones investigare, quibus e.g. theorematum scientifica omnibus nota inventa sint. Lectores sine dubio non ignorant Newtonum, mathematicum et physicum maximi momenti, per malum parvum motum esse ad leges gravitatis inclusas proferendas.

Archimedes (287-212 a.Chr.n.), quem historici disciplinarum mathematicarum nostri temporis mathematicum maximum veterum dicere solent, etiam parens hydrostaticae, scientiae actionis fluidorum in gravitatem corporum, fuit. Marcus Vitruvius Pollio, architectus peritissimus et eloquentissimus Romanorum, in praefatione libri noni operis sui de architectura: «eorum (scriptorum) - inquit - autem cogitata utiliter hominibus ad vitam explicandam e pluribus singula paucorum uti exempla ponam, quae recognoscentes necessario his tribui honores oportere homines confitebuntur.» Refert de hora, qua hydrostatica inventa sit; narrat de fraude, quae subdolo animo facta sit regi, de pyelo, ex quo aquae emanaverint sicuti ex fonte, de clamore magno, quem Archimedes ediderit domum vadens:

Archimedis vero cum multa miranda trwenta et varia fuerint, ex omnibus etiam infinita sollertia id, quod exponam, videtur esse expressum. Hiero enim minor Syracusis auctus regia potestate, rebus bene gestis cum auream coronam votivam ditis immortalibus in quodam fano constituisset ponendam, manupretio locavit faciendam et aurum ad sacromam adpendit redemptori. Is ad tempus opus manu factum subtiliter regi adprobavit et ad sacromam pondus coronae visus est praestitisse. Posteaquam indicium est factum dempto auro tantundem argenti in id coronarum opus admixtum esse, indignatus Hiero se contemptum esse neque inveniens, qua ratione id furtum reprehenderet, rogavit Archimedem, uti in se sumeret sibi de eo cogitationem. Tunc is, cum haberet eius rei curam, casu venit in balineum, ibique cum in solium descenderet, antimadvertisit, quantum corporis sui in eo insideret, tantum aquae extra solium effluere. Itaque cum eius rei rationem explicationis ostendisset, non est moratus, sed exsiluit gaudio motus de solio et nudus vadens dormum versus significabat clara voce invenisse, quod quaeraret; nam currens identidem Graece clamabat εύρκα, εύρκα! Tum vero ex eo inventionis ingressu duas secisse dicitur massas aequo pondere, quo etiam fuerat corona, unam ex auro et alteram ex argento. Cum ita

fecisset, vas amplum ad summa labra implevit aquae, in quo demisit argenteam massam. Cutus quanta magnitudo in vasum depressa est, tantum aquae effluxit. Ita exempta massa quanto minus factum fuerat, refudit sextario mensus, ut eodem modo, quo prius fuerat, ad labra aequaretur. Ita ex eo invenit, quantum ad certum pondus argenti ad certam aquae mensuram responderet. Cum id expertus esset, tum auream massam similiter pleno vaso dimisit et ea exempta, eadem ratione mensura addita invenit ex aquae numero sextantum minore, quanto minus magno corpore eodem pondere auri massa esset quam argenti. Postea vero replete vaso in eadem aqua ipsa corona demissa trwient plus aquae defluxisse in coronam quam in auream eodem pondere massam, et ita ex eo quod fuerit plus aquae in corona quam in massa, ratiocinatus reprehendit argenti in auro mixtionem et manifestum furtum redemptoris.

Problema Archimedeeum algebraice solvi potest hunc in modum. Sit massa quaedam (M) composita ex duobus metallis (A, B) et investigetur experientia illius pondus in aere et decrementum ponderis in aqua. Sit pondus metalli A in aere aequale ipsi a et decrementum ponderis in aqua aequale ipsi a_1 ; pondus metalli B in aere = b , decrementum in aqua = b_1 ; pondus corporis mixti M in aere = m , decrementum in aqua = m_1 . Si pondus metalli A in massa commixta vocatur x , illa quantitas determinari potest huius formulae ope:

$$x = \frac{b.m_1 - m.b_1}{b.a_1 - a.b_1} . a.$$

Sed methodus ab Archimede inventa tantummodo in illis casibus adhiberi potest, in quibus non plura quam duo permixta sunt metalla; nam si corpus ex tribus aut pluribus metallis est compositum, problema fit indeterminatum et non nisi chemice solvi potest.

Archimedes investigationes suas ad disciplinam hydrostaticam pertinentes in opusculo de insidentibus humido tractavit; inde usque ad aetatem Marini Ghetaldi (1566-1627) hydrostatica inulta lacuit; Ghetaldus in libro, qui inscribitur «Archimedes promotus», principia illius disciplinae et ea, quae Archimedes excogitaverat, explicavit.

Dictum, quod Archimedes ante duo milia annorum nudus et quasi rebus humanis exemptus exclamavit, hodie pro clamore psychologico habetur, qua-



Scientia politica

DE COMMUNISMO QUEM DOCUERANT MARX ENGELS LENIN

Carolus Marx Fridericus Engels Vladimirus Lenin: hi tres viri instituerant Marxismi-Leninismi doctrinam, qua nostris temporibus permulti premuntur populi. Quam quidem cum hac sola pagina explicare non liceat, tamen operam studiumque navamus.

I

A Democrito Epicuro Lucretio aliis materialismus quin inventus et descriptus sit, dubium non est (quare et Carolus Marx dissertationem de illis antiquitatis materialistis conscripsérat). Materialistarum vero quos nunc tractamus doctrina haec est:

1. Materia sempiterna, quae initio et fine caret, *realitas obiectiva* a Vladimiro Lenin nuncupatur.
2. Materia ista quae eadem sit atque materia mundi semper moveri dicitur.
3. Quam motionem semper fieri dicunt in temporis et spatii finibus, ergo inclusam esse certis finibus.

II

Carolus Marx ut erat philosophus de essentia hominis sic scripserat:

1. Hominem dicit esse animal quod nec definiatur nec perficiatur nisi in societate *et in labore*. *humana*

2. Hominis existentia et essentia a Carolo Marx definitur ex alienatione: ab alienatus enim ei videtur homo, quae doctrina e definitione laboris pendet.

Alienatus esse dicitur homo quattuor gradibus:

- alienatus a laboris sui producto
- alienatus a labore ipso
- alienatus a semetipso
- alienatus ab aliis ceterisque hominibus.

Sic homo cum maxime alienatus definiatur, sequitur, ut quaerat, qua ratione defendi ac liberari ab alienatione qua prematur possit. Et Marx respondet hominem non liberari posse nisi per revolutionem...

III

¶ Eo revolutionis vocabulo intellegimus, quo modo apud Carolum Marx inter se coniungantur philosophia et quaestio politica. Et ut perspicacius videamus, quid doceat Marxismus-Leninismus, et de dialectica et de materialismo dialectico et de materialismo historico et de socialismo scientifico agendum vobis est, sed longum certe est omnia haec enarrare. Quare haec sola proferantur:

1. Dialectica, quae a Graecis (Heraclitum dico et Platonem) inventa et a multis amata atque ab Hegelio perfectissime elaborata erat, a Carolo Marx funditus est eversa. Plato enim Nicolaus Cusanus Hegelius, ut hos solos afferam, dialecticae vim cum in reconcilia-

tione extremorum inesse docuisserant, Carolus Marx pugnare inter se extrema voluit. Quo fit, ut per dialecticam antiquam (et genuinam!) agatur pax, proelium fiat per dialecticam Marxianam, quo unum extremum vincatur ab altero et eradicetur: dialectica genuina igitur pacifica appellari potest, quia repugnantiam rerum non negat, sed extrema in mediata sive mediatione reconciliare vult, econtra dialectica Marxiana semper id agit, ut unum ex ambabus repugnantibus victoriam reportet.

2. Sunt leges quattuor, quibus explicare vult Marxismus-Leninismus, unde (praeteritum), quo modo (praesens), quem ad finem (futurum) fiant res gestae; quas enumerare longum est.

3. Materialismo historico agitur de quinque rei publicae statuum formis quae fuisse ab initio hominum usque ad finem dicantur; quae quinque formae haec sunt:

- societas prima (= sine proprietate privata)
- societas eorum, qui servos habebant (= tempora antiquitatis!)

ismi
- societas feudalitatis (= mediaevalis)
- societas capitalistica
- societas socialistica: ex qua fiat societas communistica, in ea homo non iam alienatus fore dicitur, quia individualitate exutus membrum fiat societatis totius.
humanae

4. Finis igitur humani generis societas communistica futura esse dicitur, qua homines ab omni alienatione liberatum iri sperant Marx Engels Lenin. Lenin vero et quo modo revolutio praepararetur docuit et quibus gradibus uteretur societas hominum post revolutionem, quippe qui videt hanc quaestionem neque a Marx neque ab Engels esse solutam. Qui quattuor quin gradus post revolutionem socialisticam futuros esse oporteret, dubium Vladimiro Lenin non erat, docuit autem hos:

- dictatura proletariorum
- socialismus
- via qua ad communismum ingrediatur societas
- communismus = societas totalis sine rei publicae potestatis.

humana

IV

Quae quidem explicatio nostra theoretica quo minus difficilior intellectu esse videatur, timeo: quare lectores benevolos adhortor, ut proximam exspectent relationem, qua de praxi communistarum et in Oriente et in Occidente agetur. Valete.

Wilhelmus

Wilhelmus BLUM
Monacensis

AB OBLIVIONE VINDICETUR...

THOMAS ELSAESSE R. O.S.B.

COLLOQUIORUM SCRIPTOR



De excursione ad Mosam facta.

- M. Estisne ad excursionem parati?
P. Pransi ac parati, domine. Quo cogitas?
M. Curru vecti ad Mosam flumen excurremus.
P. Quanto intervallo Mosa hinc distat?
M. Sunt septem itineris milia, quam viam cursu incitatissimo vecti cito confecerimus.
P. Licetne mihi, domine, vobiscum iter ingredi equo?
M. Estne sella equo tuo iam imposta?
P. Nondum est, domine, sed opus nullius temporis erit.
M. Tunc satius est te nobiscum curru vehi.
P. Iussistine iam equos iungi, domine?
M. Certe iussi.
G. Quando vis avehamur?
M. Illico certe. Iam diu raedarium morati sumus.
Equi hinnitum edunt, fremunt, cervices concutunt pedibusque terram pulsant. Rumpite moras!
G. Nonne iunctis paulo gravius et longius est iter, domine?
M. Nihil refert, nobis satis temporis est.
P. Revehemurne eadem via, domine?
M. Eadem.
P. Ubi mutabimus iumenta? Ubi iumentis pabulum dabimus? Ubi ea aquatum ducemus?
M. Istud videbimus. Conscendite et capite loca. Iam bene vertat!
G. Novistine raedarium, Carole?
C. Egone eum non noverim, qui tam saepe ad stationem viae ferreae me vixerit? |atac
G. Scitne bene iumenta agere?
C. Probe scit, sed nescit, ut vides, equis ornatum apte induere.
P. Parum, domine, provehi videmur; visne raedarium inclamem, ut equos vehementius incitet?
M. Volo sane; est profecto quod equos paululum flagello admoneat.
C. Io, video Iulium amicum cursim nos persequenter; visne, domine, eum raeda tollere?
M. Nihil impedio, si quis ei partem sedis vult concedere.
C. Nonne in sella raedarii assidere potest?
M. Certe potest, si sella raedarii contentus est.
Quid rei est? Cur sustines currum, raedari? |ie
Cur vehiculum consistit?
R. Alter equorum pedem offendit.
M. Quid eum loro non ducis?
R. Videamus; silicem, puto, in ungula habet.
M. Nonne lassitudine sunt confecti?
R. Multo saltem sudore manant; sed mox eis facultatem quietis dabimus.
M. Cur rotas non sufflaminas, raedari? Currus vehementer ruit deorsum.
R. Non tanti est, quia ab illa parte mox adversus |ie

collem vehendum erit.

- M. Et rotae tunc iam erunt relaxatae, nonne?
R. Ita est.
M. Faveas mihi! Quid video? Cur ille pedes priores erigit?
R. Nolite laborare: mulierculam ex intervallo conspexit lignorum fascem in capite ferentem, quae eum paululum terret.
M. At saepius equi minima quaque re consternantur; et tu non descendis? Descendamus omnes; nam mihi praestanda est vita vestra.
R. Sed cavete ne proprius ad eum accedatis, quia territus facile calces remittat.
M. Nonne satius est equos omnino distingere?
R. Istud improbo; nam tranquillitatem iam recuperavit et ab omni periculo tuti sumus. Conscedite, quaeso, ut pergamus.
P. Io, ad Mosam pervenimus, qui ut speculum in sole resulget. Licetne nobis, domine, lavari in flumine, qui adeo pulvere simus sparsi?
M. Per me licet, sed cavete ne itineris perfuncti periculis aquis hauriamini. Semihorae spatium vobis concedo ad lavandum, quo facto ad cauponam & Bove Aureo omnes simul devertemus.
(*Nos in schola Latine loquimur*, p. 221-223)

Nos in itinere Latine loquimur.

- ...
P. At quidnam istic tecum gestas in humeris? |ib
T. Thecam, domine, quae continet citharam.
P. Qui fit ut vestiforis nomine cum cithara vageris?
T. Quia duabus ancoris niti satius esse censeo: cum vestifex opus non reperit, citharista oportet victum querit arte.
P. Quis fidibus canere te docuit?
T. Pater meus, cuius ossa bene quiescant; qui quamquam ipse quoque vestifex, pauper et ignobilis, tamen fidibus canendi magis quam qui maxime fuit peritus.
C. Ehem, omnia nobis secundissima accidere videntur. Cum poma plerumque non procul a proprio stipite cadant, non dubito quin tu quoque, Tiburti, haud parum in ista arte excellas.
T. Satis bene, domine, quamquam digitorum agilitate patrem numquam plane sum assecutus; contra aurum acumine atque vocis, qua ad chordarum sonum cantem, valeo vastitate. Tibia quoque et viola admodum expedite utor; cithara vero id est organum, quod praecipue in deliciis habeo.
A. Papae! Nihil mihi longius videtur, quam ut canentem audiam.
C. Patientia utere, Antoni, et eum audies; namque, pace quod fiet tua, domine, defensoris partes in hac causa sustinere constitui neque quiescam donec Tiburtius, quem hominem probum atque

- T. honestum esse pro certo habeo, erit absolutus.
 P. In perpetuum beneficio obligabis me, domine. Ohe! Priusquam in isto genere quidquam admittam patrocinii, domine, certe deliberandi spatum postulaverim. Iuventus natura imprudens ac mollis numquam non prona est ad clementiam. An novisti praeclarorum illud: «Vide cui fidas» et illud: «Fac quemlibet fraudulentum praesumas dum probetur contrarius?» Me vero usus docuit istos vagos plerumque esse furunculos. Vix enim credatis quot cultri, cochlearia, fuscinulae, pocula vitrea, mappae, petasi, pallia ab eiusmodi hominibus erraticis iam hinc sint subrepta, ut illos omittam, qui pro cibo et potionem consumpta non solventes clam se subduxerint.
- C. Vah, levia sunt ista, domine, atque egestate magis quam scelerosa animi affectione perpetrata. At animum refer, quaeso, ad illos, qui urbibus furtum summo cum artificio exercentes in ipso propatulo cuivis, qui habitu se commendat, imperito, contemptis conquaestoribus publicisque ubique dispositis, modo horologium aureum, modo gemmas pretiosas aut vero crumenam ipsam incredibili dexteritate e sinu subripiant. Et quis est qui numquam de illis audierit, qui iusto saeplus pecuniam vel maximam aut publice aut privatim eis commissam sine ulla religione ac fide avertere non dubitet? Sed semper scilicet viget illud: «Dat veniam corvis, vexat columbas».
- P. Ego vero, si penes me esset, securitatis publicae causa eiusmodi fures non in carcerem mitti, sed omnes ad unum suspendio interimi iuberem. Quid enim prodest eos includi in carcerem, quo, poena data, nisi quae eorum est sagacitas prius inde evaserint, plerumque immutatis moribus revertuntur!
- C. Istud sane haud paucis merito acciderit; neque tamen adduci possum ut credam Tiburtium quoque in numero eorum esse habendum. An serio putas hominem miserum, qui egestate coactus semel mendicaverit, eo ipso furem esse carcere dignum et furca? Nemo opinor, qui sana quidem utatur mente, eiusmodi rem affirmaverit. Immo equidem plane non dubito quin Tiburtius, quem ex quo huc intravit acerrime, quemadmodum se gereret, observavi, gravitate dignitate modestia pietate sua tuae maximo-pere clementiae se commendet. Itaque si salvo officio impunitum dimittere non potes, fac, obsecro, domine, ut hoc mollissimum genus poenae de eo exgas, ut praeclaros nobis aliquot modos cithara canat.
- P. Hui, animum generosum tuum, domine, laudo, non laudo credulitatem. Neque tamen, quamvis averso ab hominibus furacibus istis sim animo, quod orasti denegabo. - *Gulielme*, dimitte conquaestorem, qui, quomodo res ceciderit, scire necesse non habeat. - Ego igitur caupo ad Leonem Aureum et huius loci magistratus, quae mea est auctoritas publica, in Tiburtium Schmalbein, qui contra vetitum ostiatum mendicavit, hoc coram duobus testibus molliissimum in expiationem delicti genus poenae cons-
- St. tituo, ut idem Tiburtius, non mihi, dico, sed his, qui iudicio interfuerunt amicis meis, aliquot lepidos modos, quam secum gerit cithara canat, deinde in pedes se conferat neve umquam amplius in hac nostra regione conspiciatur.
- P. Praeclare factum! Euge! Euge! Prosperum tibi, Tiburti, gratulamur rerum eventum!
- P. Esne paratus, Tiburti, hanc poenam subire?
- T. Libenter animo, domine, dummodo organum, quod his caloribus nervorum discrepantia scilicet haud parum laboret, idoneum se praebat.
- P. Atat! Numquid tibi, ut nervos in concentum redigas, opus est spatio horae? *Gulielme*, deduc eum, ubi odiosum istud negotium perficiat, in conclave contiguum. Vos autem, hospites collendi, laborioso hoc offici munere perfunctus invitaverim epulas mirifico casu isto ferme neglectas denuo resumere.
- A. Benigne dicis, domine; a me vero, ne mentiar, causa ista omnem avertit cupiditatem cibi. Delicias igitur citharae iam praecipiens exspectabo Tiburtium.
- C. Quem ego rogabo, ut nobis numquam non iucundissimum carmen tuum patrium «Conservet Deus» canat.
- A. Io! Quod quidem nos omnes simul scilicet concinentibus vocibus cum impetu referemus: Tiburtius voce summa, nos mediis, tu, domine, praeclera tua voce gravissima.
- P. Oho! Ait tu? Nihil hercle restat quam ut ego huius loci magistratus ad eiusmodi familiaritatem cum homine vago me abiciam. Canat ipse, quia ad canendum condemnatus est; poena autem data, ut eadem ait sententia, quam celerime hinc facessat. Si vos utique canere vultis, nemo voluptati isti vestrae afferet impedimentum; ego vero, qui huiusmodi concentus non singulariter ardeam studio, interea in angulum aliquem me recipiam.
- C. Favete! En Tiburtius adest. Quid, organum tuum iam est paratum?
- T. Est, domine, atque chordae eius perfecte inter se nunc consonant.
- C. Heus, Antoni, mihi porrige amabo istam lagoenam. Accede huc, Tiburti; poculum vini tanto plus ad canendum tibi ingenii suggeret.
- T. Quid iam vis, honestissime iudex, vobis canam?
- P. Hem quid sciām ego, qui numquam eiusmodi organum viderim? Fac tandem ad mensam assidas et illos modos canas, quos tute omnium maxime probes.
- T. Canamus igitur «Desiderium patriae».
- A. Silete! Iam vibrat sonorum concentus! Vah, mihi videor esse in caelo. Singularis profecto est quidam tinnitus citharae, suavior auribus quam mel suavissimum ori. Ars autem Tiburtii consummata ipsa moveat saxa.
- Et iam commovisse videtur. Specta enim ut submissa voce loquamur, convivatorem nostrum illic seorsum in sella sedentem, qui caelesti hoc motus sonorum concentu mirum in modum os distorquendo iucundissimis lacrimis se tradere videtur.
- A. Maxime Iuppiter! Qui, quaeso, fieri potest ut sequitur p. 15

Villed



EX ORBE LATINO

DE ANNUO CONSESSU ACADEMIAE ROMANAЕ

Mense Aprili, cum in regionibus magis septentrionalibus pluvia sine ulla intermissione caderet, tota Roma florum odores redolebat sub sole. Ibi defensores officiales Latinitatis, i.e. Academiae Romanae sodales, modo habuerunt concessum suum annum in monte Aventino, ubi sedet Institutum Studiorum Romanorum. Harum aedium primum tabulatum Officio Latino dedicatum est: quod officium est quasi grapheum permanens Academiae Latinae.

Quamvis non sodalibus sessioni ipsi interesse non liceat, quilibet invitatur ad acroases publicas auscultandas... sed satendum est tres tantum alienos auditores adfuisse, magistram quandam, D^rem Gaium Licoppe et me ipsam! Ea ergo quae narrabo, partim ipsa vidi, partim ex Academiae sodalibus accepi.

Concessum diebus 19° et 20° m. Aprilis fere viginti sodales participaverunt: Eduardus Coleiro Melitensis, Osvaldus Dilke Anglus, Caelestis Eichenseer Saravipontanus, Gaetanus Gantar Iugoslavus, Petrus Grimal Parisiensis, Iosephus IJsewijn Lovaniensis, Iohannes Irmscher Berolinensis, Iohannes Kabrt Pragensis, Bruno Luiselli Romanus, Scaevela Mariotti Romanus, Victor Poeschl Heidelbergensis, Iosephus Maria Mir Romanus, Ludovica Rychlewska Polona, Nicolaus Sallmann Mogontiacensis, Robertus Schilling Strateburgensis, Valahfridus Stroh Frisingensis, Vincentius Ussani Romanus.

Academia Romana novam constitutionem iuridicam eamque propriam nunc habet. Unde statutum est ut sessio bis in anno fieret: altera exeunte mense Octobri vel ineunte mense Novembri habebitur. Novus praeses etiam eligendus fuit: prof. Vincentius Ussani, fere solus candidatus, electus est.

Post electionem quattuor consultorum atque quinque inspectorum rationum nummariarum, post sodales mortuos - Magdalena Bonjour, Iosephum Jimenez Delgado - commemoratos, exorta est vehemens disputatio de Conventu Academiae Latinitati inter omnes gentes sovendae. Nam ille conventus mundialis latinistarum, ab Academia Romana quarto quoque anno apparatus, a° 1989° Erfordiae - v. Erfurt in Germania Orientali - sicut prof. Iohanne Irmscher invitante. Pretium autem ins-

criptionis et pernoctationis tam impudenter exaggeratum visum est, ut multi, qui nomen iam dederant, nuntiarent se participare non posse. Prof. Iohannes Irmscher, cum de hac re increparetur, respondit regentes rei publicae Germaniae Orientalis cuncta imposuisse, se ipsum nihil mutare posse. Infelicititer timendum est, si plures participes de pretio nimio recusant, ne conventus Erfordiensis tollatur.

Etiam tractatum est de normis orthotypicis, quas instituendas curavit prof. Nicolaus Sallmann. Nam post normas in Melissa 25^a propositas, textus aliquantulum mutatus atque auctus est; qui textus definitivus in lucem mox edetur ratione bilingui: Latino-Francogalicum, Latino-Italicum, Latino-Theodiscum, Latino-Anglicum...

Denique prof. Valahfridi Stroh res acta est. Qui in animo habet magnificos Ludos Latinos in honorem Horatii a° 1992° Romae, quantum fieri poterit, exhibere. Propositum suum exposuit desideravitque subsidium vel saltem commendationem Academiae Romanae. De hac re proximo anno sodales iterum disputabunt.

Hae quidem disceptationes aliaeque minoris momenti privatum factae sunt. Quinque orationes publicae insuper propositae sunt, quarum thema generale fuit de magna rerum mutatione in Francogallia ante duo saecula facta. Petrus Grimal primus locutus est; timebamus ne relationem suam Italice faceret, quia titulum Italicum nuntiaverat - «L'ideale di libertà in Roma e in Francia» -; verba tamen Latine conscripta palam legit. Qua perfecta acroasi, prof. Valahfridus Stroh suo more eum allocutus est: «Patre Francogalle...» et maxima volubilitate iucundaque industria, cum suam sententiam adderet, Academiam interdum somniantem revera exercefecit! Iohannes Irmscher explicavit «quomodo actores revolutionis Francogallicae virtutes, mores atque rempublicam Romanam receperissent». Gaetanus Gantar «quomodo magna eversio Francogallica studia antiquitatis in provinciis quae Illyricae dicebantur promovisset»; Nicolaus Sallmann «de libertate Horatiana», Osvaldus Dilke «de Lucani amore libertatis» locutus est.



Professores V. Stroh, E. Coleiro, G. Gantar, O. Dilke, P. Grimal

DE SESSIONE LATINA IN SCHOLA POLYTECHNICA HABITA



SODALITAS LATINA MEDIO LANENSIS

Iam diu patet amicos nostros Mediolanenses industrios strenuosque latinistas esse. Nec carent audacia, ut videbitis. Cogitaverunt linguam Latinam a rebus scientificis technicisque nostris temporibus nimio modo separari, cum saeculis praeteritis fuisse lingua communicationis scientificae. Haec ergo intra se volverunt: «Cur homines qui rebus technicis se dedunt non faveant etiam linguae Latinae? Adeundi sunt!» Et eos adierunt. Die Martis 18° m. Aprilis, hora quarta et dimidia postmeridiana, prorector Scholae Polytechnicae Mediolanensis latinistas benigne accepit. Etenim nonnullos eorum bene noverat: nam

Iohannes Carolus Rossi, Claudius Piga et Henricus Orsi studia sua ibi perfecerunt.

Aderant, curiositate impulsi, alumni et alii qui actis diurnis de re certiores facti erant. Ad portam aulae B.6.5. grex studentium attonitorum hoc mirum spectaculum adspiciebat: sessionem Latinam in templo Technicæ!

Henricus Orsi, qui moderatoris munere functus est, oratores singillatim invitavit ut rem suam proferrent. Ut decebat, cuncti de rebus technicis locuti sunt: Gaius Licoppe Bruxellensis explicavit quam grave vulnus cultus humanus accepturus esset, si scientiae et litterae seiunctae tenerentur; P. Caelestis Eichenseer Saravipontanus de verbis, praesertim technicis, novandis tractavit; Claudius Piga Mediolanensis historiam formae urbis Mediolani adumbravit; Iohannes Carolus Rossi Mediolanensis locutus est de aedibus rotundis ab architecto quodam Helvetio nuperrime constructis.

Harum acroasium varia themata singulis placuerunt, atque etiam, ut speramus, illis duobus diurnariis qui hulus rei relationem fecerunt in suis actis diurnis.

Francisca DERAEDT

RESPONSUM AD LITTERAS APERTAS DE PRONUNTIATU LATINO

In fasciculo XXIV horum actorum, quibus titulus «Melissa» (lunae die II Maio anno 1988^o), omnibus sacerdotibus scripseramus qui usum linguae Latinae servaverant. Nunc, post quasi unum annum et multas nostras epistulas, quarum tres acceptae erant mensibus Augusto, Decembri et Martio, responsum accepimus. In litteris apertis nostris scripseramus: «Ratio vestra (pronuntiatum Italicum servandi) esse videtur, Plin X pronuntiatum Italicum imperavisse». Nunc patet rationem hanc unicam esse et quasi dogma aestimari... Argumenta nostra pro pronuntiatu classico [communi in mundo Latine loquentibus, adhibito usque ad saeculum quintum p.C. et in usu tum temporis cum Iesus nasceretur in plenitudine temporis (C. Eichenseer scripsit)] tantum unius assis aestimantur, quia in responso ne memorantur quidem.

Birgitta et Iohannes GRANATA¹

(Epistula ex Gallico in Latinum sermonem versa)
In urbe Rickenbach, postridie Idus Martias anno 1989^o

Optime Domine I. Granata,

Patre Fabrimontano (Germanice Schmidberger²) absente, tibi gratas ago propter epistulam quam ei pridie Idus Martias scripsisti, sic ut propter superiorem et propter omnia quae misisti, praecipue casetam cantus Gregoriani et profani in pronuntiatu Latino «restituto». Etsi studiosissimi pronuntiatus qui dicitur Romanus commendati a Sancto Pio X, labores vestros³ scriptos et musicos aestimamus. Accipe, quaeso, optime Domine, asseverationem sensum pitorum et deditorum meorum in Domino nostro Iesu Christo.

Bernardus Tissier de Mallerais, Secretarius Generalis Fraternitatis Sacerdotalis Sancti Pii X, CH-4613 Rickenbach, Helvetia, tel. 062-46 18 18.

(Hic concluditur epistula responsum reddens, a Granatis post quattuor dies accepta).

1) Eorum inscriptio est: 15 rue de Provence - F-13090 Aquae Sextiae (Gallice «Aix en Provence»), tel. 42 20 33 91.
2) In litteris apertis hoc nomen mendose (bunt «t.») scriptum erat. Pater Fabrimontanus Fraternitati praeest. H.

3) Id est omnium fautorum pronuntiatus restituti.

DE ALICIA IN TERRA MIRABILI

ET

DE HUIUS LIBRI AUCTORE LUDOVICO CARROLL

Quis de Alicia in terra mirabili nihil umquam audivit? Quis hunc librum mirificum numquam legit aut aliquam e multis pelliculis cinematographicis eo inspiratis non vidit? Aliciae mirabiles peripetiae duobus libris compositae sunt; prior •Alicia in terra mirabili•, alter •Per speculum• appellatur.

Hoc opus semper me maxime delectavit, sed etiam cuiusmodi eius auctor esset curiositatem meam excitabat.

Cum scirem Ludovicum Carroll (cui verum nomen Carolus Dodgson erat) mathematicum fuisse et nonnullos libros de rebus logicis scripsisse, modo huius libri editionem a Martino Gardner adnotatam, qui etiam complures libros de rebus mathematicis logicisque conscripsit, emi.

Maiore cum delectatione nunc opus legebam, nam Martini Gardner notae, valde eruditae, diversos aspectus et novas interpretationes simul atque nonnulla Caroli vitae facta lectori praebabant. Eo modo lectio peramoena facilius procedebat.

Est in libro altero (•Per speculum•) poema celebrissimum, c.t. Anglice «Jabberwocky» est. Hoc poema est mirificum exemplum artis quae «sine sensu» appellatur. Magna pars verborum in hoc poemate significazione vera caret, nam ab auctore ipso alia alio modo creata sunt. Sic fit, sicut ipsa Alicia dicit: (textus in Latinum ab Anglico versus): •Vere mirificum poema est, dixit Alicia cum illud legit, sed aliquanto difficile intellectu! (Neque enim sibi se poema omnino non intellexisse confiteri placebat). Aliquo modo poema id est caput implere videtur; tantum nescio quales sint!•

Sex paginis cum notis ad poema aliquanto adumbrandum Martinus Gardner usus est, in quibus etiam de versionibus in alias linguas tractat; tunc maxime miratus sum cum legi duas translationes Latinas huius poematis existere. Quis et qua de causa in linguam Latinam poema vertere voluisse nesciebam, sed certe scire volebam. Ergo multis libris investigatis multas res mirabiles et omnino inexpectatas inveni non solum de Caroli Dodgson relatione cum linguis Latina et Graeca sed etiam de coetu eius amicorum.

Patet linguas et Latinam et Graecam Carolum praecepue amavisse. Diversa facta a puero usque ad maturitatem hunc amorem corroborant. Primum exemplum inveni in litteris a matre scriptis circa annum 1843^{um}, cum Carolus circa undecim annos natus esset. Parentes aberant, cum in vicum Hull appellatum iter fecissent ad avum (Caroli matris patrem) visitandum, nam aegrotabat. Talia Carolo mater scripsit: (T.I.L.a.A.V.) •Fili carissime, maxime doleo quod citius ad te scribere non potui... Valde mihi placuerunt litterae tuae, pulcherrime filiole, quae mihi demonstrant te mei non omnino oblitem esse... Maximo cum gudio accepi, carissime Carole, te in studiis tuis Latinis tam bene procedere et tam pauca menda in pensis facere...•

Scilicet Carolus in litteris prioribus vehementius

de progressu suo in lingua pensisque Latinis scripsit, quod valde mirum esset nisi talia amavisset. Sed etiam notandum est numquam in scholam ante annum 1844^{um} Ludovicum ¹isse; usque ad hunc annum omnem institutionem domi accepit, id quod significat patrem eius linguam Latinam inter disciplinas descendas esse putavisse. Res minime mirabilis, nam pater gradum academicum maximum et in rebus mathematicis et in linguis classicis Oxoniae apud Christi Ecclesiae collegium adeptus erat, et Tertulliani opera in linguam Anglicam verterat.

Anno 1884° prima vice Carolus in scholam iit. Duodecim annos natus erat et, ut in illo tempore mos erat, Latinos versus componere debuit. In diario suo hos versus inscripsit die 25° m. Novembris a° 1844°:

Phoebus aqua splendet descendens, aequora tingen-

Splendore aurato. Peruenit umbra solo.

Mortales lectos querunt, et membra relaxant.

Fessa labore dies; cuncta per orbe silet.

Imperium placidum nunc sumit Phoebe corusca.

Antris procedunt sanguine ore ferae.

Quamquam nonnulla menda in his versibus inventi possunt, credo rem ipsam valde mirabilem esse, cum Carolus tantum puer esset cum haec scripsit. Sed non solus ita puto; magister eius haec ad Ludovici patrem scripsit: (T.I.L.a.A.V.) •... Nec dubito dicere mea sententia illum [Carolum]... ingenii portionem inustitiam possidere... Tantum modo examina rerum mathematicarum optime perficit... Sed tamen et nonnulla vita vituperanda sunt... cum viva voce versus legit, syllabarum quantitatem quam Vergilius et Ovidius diligenter curaverunt saepe parvifacit. Sed vere ingentiosus est ad solitas seu nominum seu verborum terminaciones quales in libris grammaticis descriptae sunt in alias magis analogas aut magis illi convenientes qui ipse creaverit mutandas.»

Certe magister per ironiam licentias nimis audaces vituperat, sed quis numquam talia fecit cum linguam Latinam discere coepisset? Sed aut fortasse magister nimis severus erat aut in lingua Latina Carolus valde processit, nam tantum post duos annos, cum in Rugby schola esset, palmam tulit pro compositione Latina scripta, verno tempore a° 1887°. Rugby schola relicta, haec magister eius in litteris ad Caroli patrem scribebat: (T.I.L.a.A.V.) •... Meam de filio tuo scholam relinquenti altam existimationem tacere nequeo... eius rerum mathematicarum peritia tali aetate mirabilis est... neque dubito illum etiam in linguis classicis famam accepturum esse...»

Cum Rugby scholam Carolus reliquit, gradus maximos in rebus mathematicis, historicis et divinis, gradum autem secundum in linguis classicis accepit.

Anno 1850° in universitate studiorum Oxoniensi

sequitur p. 13

se ascripsit, et mense Januario anno 1851° Christi Ecclesiae collegium, idem quod pater intraverat, ipse intravit, ubi per quadraginta septem annos victurus erat. Exeunte anno 1852° gradum maximum in rebus mathematicis et gradum secundum in linguis classicis accepit. Duo linguarum classicarum examina superanda erant: prius de poetis et oratoribus, alterum de historicis et philosophis, quibus philologia, litterae antiquae, logica, compositio et versiones addendae sunt.

Quattuor auctores legendi erant: Homerus, Vergilius, Demosthenes et Cicero (orationes), quibus accedebant tres libri eligendi. Certe de hac parte examinis Carolus loquebatur cum ad sororem scripsit sibi scribendum fuisse «de Apostolorum Actis, duobus Graecis dramatis et Horatii saturis»; nec res grammatica, compositio, versiones et in Anglicum et in Latinum, litterarum et historia et res critica omittenda sunt. Carolus post examen valde desperavit, et sic sentiebat: (T.i.L.a.A.v.) «...[linguas classicas] vix legere possum; consequentias tantum legendi ad examen parandum nunc patior...»

Ad alterum examen parandum per unum annum et dimidium adhuc studendum erat. Ineunte anno 1854°, Carolus multum studebat; tres septimanas ante examen cottidie per tredecim horas studuit, die examinis totam noctem vigilavit, sed tantum gradum tertium accepit; in rebus mathematicis contra gradum maximum.

Sed linguarum classicarum amor non solum studiis demonstratur; signa huius amoris totam per vitam apparent, ut his exemplis e Caroli diario excerpatis ostenditur: (T.i.L.a.A.v.)

«Maximam partem matutini temporis consumpsi laborando in argomento Latino in 'Hall' legendo.» (die 3° m. Martii a° 1855°).

«Iterum libros quos iam legi legendi sunt, et fortasse aliqui novi - Aeschylus? - addendi sunt. Etiam Evangelium et Apostolorum Acta Graece curanda sunt, et in Epistulis procedendum est.» (die 13° m. Martii a° 1855°).

«Epistulam ad Galatas Graece legere iam incepit.» (die 21° m. Maii a° 1867°).

Carolus iter in Russiam fecit anno 1868°; mense Augusto in diario inscripsit se missam Graecam intellegere potuisse «libris adiuvantibus, cum pronuntiatio obstaret». Etiam signum hieroglyphicum delineavit ad communicandum cum incola Russo. Latinis litteris usus est ad annum notandum.

Etiam Testamenti fragmenta ex memoria Graece recitare poterat. Saepe consilia de libris ordinate legendis capiebat: (T.i.L.a.A.v.) «Hoc est consilium quod cepi: primum die Lunde et Martis: Graece. A Thucydide incipiens - usque ad finem. Secundo die Iovis et Veneris: Latine. Horattum incipere - usque ad finem. Haec est regula observanda in ambobus libris: capite finito, caput revisendum est; libro finito, liber revisendus est...»

Iohannes-Albertus MORENO-TORTUERO
Matritensis

(sequitur in proximo Melissae numero)

lem homines de aliquo problemate triumphantes in ipso cognoscendi discrimine tollere solent. Praeterea verbum εύριξα etiam in insignibus Californiae, Foederatae Civitatis Americae Septentrionalis, reperitur; nam veri simile est superiore saeculo, aetate, qua homines omnis classis socialis aurum sitiverunt, aurilegulos barbatos verteres nonnullos, ne ab aliis audirentur, clam susuravisse: «I'll be damned - profecto aurum inveni!»

Termini technici:

gravitas	Schwerkraft, Gravitation, Schwere
	gravitation, gravity
hydrostatica	Hydrostatik, Statik flüssiger Körper
	hydrostatics
sextarius	mensura Romana ad metiendum corpora fluida (aequalis est 0,547 l.)


Petrus HRANDEK
Vindobonensis



FUNDATIO MELISSA
NOVISSIMUM LIBRUM SUUM
LECTORIBUS PROPONIT

VADE MECUM
ad usum hodierni viatoris Latini

Hic libellus primus est seriei, cui titulus generalis erit "Viator Latinus". Quo sub titulo in animo habemus libros divulgare, ubi tractatur de itineribus sive nostrae sive superioris aetatis. Hodierni homines lustrationibus valde delectantur sed pauci adhuc regiones obire solent loquendo Latine. Occasione primi "Itineris Latinus", quod Fundatio Melissa hoc anno instituit, putavimus utile esse viatoribus Latinis libellum proponere, ubi usualia verba Latina invenient quae adhibenda sunt in diversis conditionibus. Putavimus etiam non inutile esse harum usualium locutionum translationem in quinque sermones hodiernos Europaeos subiungere, qui sunt Anglicus, Francogallicus, Hispanicus, Italicus, Theodiscus. Sic contigit delectatione utilitateque, speramus fore ut hic libellus mereat titulum, quem ei imposuimus: "Vade mecum"! Pretium: 200 FB



De Iacobo Vanierio poeta Latino

Quot margaritae in scriptis Latinis inveniuntur!

Petitione a Theodorico Sacré prolata ut legentes scripta, si qua offendissent vix nota at elegantiora, proderent eademque ederent, commonefactus sum libri cuiusdam, quem in libraria forte inveni et eum statim - delectatione enim me allexerat - comparavi. Qui liber, vetustus quidem at bene servatus, carmina praebebat a Iacobo Vanierio scripta, Tolosae edita anno 1742, «Praedium rusticum» inscripta.

Vanierius ille ab Biterras (vulgo Béziers) anno 1664 natus est; anno 1680 in Societatem Iesu ingressus, erudiebat adulescentes in gymnasii Montepesulano et Tolosano; obiit Tolosae anno 1739. «Praedium rusticum» editio princeps anno ni fallimur 1730 lucem vidit post alios versus Latinos inde ab anno 1684 divulgatos. Eis autem temporibus, Ludovico XIV Francogallorum rege, ingens poetarum chorus Latinarum concinebat, qui Vergiliūm quasi deum quendam colebant; quare qui gloriolam aliquam arripere cupiebant, eis Vergilianis erat ludendum versibus; praeterea carmina didascalica erant in deliciis («quod spectare iuvat, placuit deducere versu», ut ipse asseveravit poeta); hinc factum ut non pauci Vergili vestigia secuti aut partes eas, quas antiquus ille poeta omiserat, versibus incluserint (ut puta Renatus Rapi-nus, qui «Hortorum libros» anno 1655 primum emisit), aut totam agri culturam novis inventis auctam heroicis descripserint versibus; horum in genere erat Vanierius, qui ob sermonis elegantias palmam poesis diu tenuit; nam poema eius saepe editum variasque in linguis conversum multos per annos in gymnasii lectitatum esse constat.

His dictis liceat nobis alicere te ruris ad delicias, ut cum Vanierio ipse dicas: «Secreti tacita capior dulcedine ruris» (lib. 1, p. 2).

De arboribus (lib. 6, p. 113-114)

Nunc age, plantarum morbos artemque medendi exsequar, humana repetens ab imagine causas atque mali communis opem: mortalibus aegris arboribusque pares fert vita simillima casus. Non dispar utriusque habitus: radicibus arbor insistit veluti pedibus; pro corpore truncus eminet et longos fundit quasi brachia ramos. Arboreas terrae sucus pro sanguine venas irrigat et frondes, vitae fons, manat in omnes. Spemque metumque facit plantarum infantia, primo luxurians et flore nitens iuveniliter aeo, sed vix stare potens crebrisque agitata procellis. Lactentem quamquam teneris informet ab annis, aetati tamen indulget ramosque colonus non reprimit, donec rigidos imponere mores

et luxum austera compescere falce monebunt impetus et truncī vigor inconsultus adulti. Arctior effrenos tum disciplina coeret imperiumque pati ramos iubet, atque figuram induere, et curvum vel in orbem crescere tonsis frondibus, aut viridem muris praetendere scaenam. Indocilis posito demum fervore iuventae, subsequitur sollers et idonea fructibus aetas; arboribus sua nec deest importuna senectus, fronde caput nutans et arans in cortice rugas.

De diversorum vinorum natura (lib. 11, p. 210)

Nosse iuvat quo nata solo, quos sordida tinxit uva pedes: altis aliam dat Gallia terris. Cociacis¹ oritus Liber generosus in agris, firmus Burdigalae, Bliterae² mitissimus, asper Lutetiae: rupes ab eremo dicta saporem³ conciliat viresque facit; Campania⁴ mollem educat, austernum Burgundia, Belna⁵ severum. Lene merum, ripis nomen quo dicit ab altis⁶, cruda coquit nimium pransis alimenta; Cadurci⁷ vina probant sucosa quibus tabentia pallor ora notat; si cui placeant Velauna, Neracum⁸ oderit atque tuos amet idem, Arvernia, colles. Graecia floret adhuc, quamvis abstemia, Bacchi muneribus; si cura virūm telluris avitam excierit cultu laudem. Creat Itala tellus ut molles animos, sic mollia vina; feroce et Baccho et populis inspirat Iberia mores. Robur utrisque facit Germania; corpora bello vinaque progenerat mensis generosa, senectam quae servata ferunt laudemque aetate merentur.

Ne quid nimis (lib. 11, p. 215-216)

Scilicet has animis aeterno foedere numen imposuit leges: aures et lumina vitae sic dedit esse duces; at munera si quis Iacchi transiliat, nimius vino qui spiritus hausto elicitor nervos praeceps irrumpt in omnes, itque redditque frequens turbataque foedera rerum miscet agens; et dum nullis per membra recurrit imperiis, cerebrum sine lege, sine ordine pulsat fallacieque vagam deludit imagine mentem; hinc animos post vina brevis dementia mutat atque incompositos dant ebria corpora motus. Ingeniis etiam tormentum lene Lyaeus admovet et mores hominum recludit opertos. Nam facilis bilis quibus intumet acrior ira, in furias et in arma ruunt; qui siccus inanes mente iocos agitat, tremulo quatit ilia risu ebrios et lacrimis oculos humectat obortis. Balbutit sine fine loquax et inebriat aures.

Quippe suas sequitur leges natura viasque
quas solet ire novo sanguis violentior auctu
ingreditur nervos, neque mens obsistere contra
iam valet: ut quando tumet imperiosius aequor,
remigis officium cessat nec vela magister
arte regit: ventis discordibus acta phaselus,
ludibrium maris, incerto vaga fluctuat aestu.

Ebrío coffeea prodest (lib. 11, p. 216-217)
Ut medeare malo non est praestantius ullum
auxilium, quam si terris faba missa Sabaeis
intumuit nitidos sartagine tosta per ignes,
tritaque mox validis intra mortaria pills,
diluitur lympha facilique parabilis arte
Vulcano coquitur, donec vas pulvis ad irnum
venerit et posito maſueverit ollula motu.
Fictilibus rufos pateris defunde liquores,
adde peregrina dulces ab arundine sucos,
ora sapore calix ne tristia laedat amaro.

Notae

- 1 Coucy
- 2 Béziers
- 3 l'Ermitage

sequitur p. 9

homo tam ampli corporis animique tam fortis ac
strenui, qui hactenus tanto contemptu durum
inclemtem inexorabilemque iudicem egerit,
ab homunculo isto adeo sit victus et fractus, ut
singultiens identidem lacrimantibus oculis lin-
teolum adhībeat?

C. Non miror ego: vehementissimus quisque eius-
modi commutationi animi plerumque maxime
est obnoxius. Ceterum ars consummata modo
laetitiam resonans modo dolorem cur in animo
hominis non inveniat chordam aliquam alteru-
tri consonantem? Proinde sinamus illum effun-
dere in lacrimas, quem memoria fortasse aliqua
acerba in animo eius excitavit, dolorem. Ego
vero promitto tibi, Antoni, in meque recipio iam
fore ut tragœdia ista lepidissimum exitum
habeat. - Eia, Tiburti, itera quaeso istud tuum,
quod nihil umquam mihi videor audisse lucun-
dius, •Desiderium patriæ•.

P. Quod equidem voto. Nisi vis lacrimis conficiar,
desiste, Tiburti, fidibus, qui iam satis honorifica
gloriarī possis victoria. An quis mortalium
umquam fore putarat, ut crurum gracilitate
deformis iste vestifex me cauponem ad Leonem // /
Aureum, hominem longe lateque maxime obe-
sum, magica arte sua hodie ad fletum adduce-
ret?

A. •Ingenio pollet, cui vim natura negavit•, ut est in
proverbio, domine!

P. Edat igitur Tiburtius et bibat quantum libet.
Neque recusabo quin victoram consecuto, non
sine admiratione aliqua artis sua lacrimas,
quibus numquam lucidiores effudi in vita,
Ludovico aureo, ut aequum est, rependam.

...
(*Ex Doctoris Thomae Elsaesser O.S.B. Maretolensis
manuscripto inedito: "Nos in itinere Latine loqui-

- 4 Champagne
- 5 Beaune
- 6 Hauterive
- 7 Cahors
- 8 Nérac

Libri et commentationes

- Iacobi Vanierii e Societate Iesu Praedium rusticum, Editio nova longe auctior et emendatior... Tolosae, 1742.
- Emmanuel BARAT, De Vanierii genere dicendi poetico (diss.), Molinis, 1904.
- J.M. FERNANDEZ, «Poetas latinos de la Compania de Jesus: Santiago Vaniere (1664-1739)», Humanidades, 13 (1961), 211-248; 14 (1962), 7-38.
- G. SOUBEILLE, «Le Praedium Rusticum de Jacques Vanière ou la fin d'une tradition virgilienne», Pallas, 29 (1982), 79-97.
- W. LUDWIG, «Neulateinische Lehrgedichte und Vergils Georgica», in D.H. GREEN e.a. (edd.), From Wolfram and Petrarch to Goethe and Grass. Studies in Literature in Honour of Leonard Forster (Saecula spiritalia, 5), Aureliae Aquensis, 1982, 151-180.

Marcus DECRETON et Theodoricus SACRE

mur», in commentariis q.t. Civis Romanus, 6 (1907), num. 7, pp. 31-33).

* * *

Thomas Elsaesser a.d. VI Kal. Iun. anno 1844 in oppido Istein lucem hausit; postquam philosophiae et theologiae se dedit Friburgi Brisgoviae, novicius in archicoenobium Euronense est ingressus; sacerdotio /B/ auctus Maretolum (vulgo Maredsous) tetendit, dein in Britanniam est trajectus; inde a mense Aprili anni 1884 Maretoli degebat atque in schola coenobiali linguis tradebat; praeterea annos 1891-1905 subprioris // munere fungebatur; exarso bello panoctino expulsus in coenobiumque Buronense regressus affectis pulmonibus ultimum obiit diem X Kal. Mai. anno 1917. Mitto opuscula pia ab illo Theodisce conversa; illud affirmo, Alsatiani colloquia (1: Nos in schola Latine loquimur, Ars Latine loquendi pueris, amatoribus, sautoribusque linguae Latinae dedicata (Rollari et Bruxellis, 1906; ed. emend. et auct. Maretoli, Rollari, Bruxellis, 1909); 2: Lingua discito Itqua. Grammatica Latina. Syntaxis accurata in dialogum redacta multisque exemplis explanata (Rollari, 1910)) proxima accedere ad Erasmus, Ludovicum Vlivès, Antonium Van Torre (Dialogi familiares, Antwerpiae 1657 et saep.) altosque doctores haud paucos, qui colloquis emendatis perspicuis venustis in lucem editis, adolescentium sermones vere Latinos introducebant in gymnasia.

De Thome Elsaesser vitae curriculo pauca sunt scripta in comm. q.t. Studien und Mittheilungen zur Geschichte des Benedictinerordens und seiner Zweige, 38 (1917), p. 393-394 et Revue liturgique et monastique, 5 (1920), p. 257-260.




LATINE LOQUI... UBI CONDISCATUR

SEMINARIA LATINA

Dr P. Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

11 - 18 m. Augusti a° 1989°, Vestendae (Westende) in BELGICA



ad litus maris harenosum, ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvi constant.

Invitantur magistri, alumni, discipuli, omnes linguae Latinae cultores, praesertim qui censeant hanc linguam optimum, quin etiam necessarium, unionis vinculum fore inter gentes Europaeas.

Ad quod participandum, interrogandus est:

Dr Gaius LICOPPE
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles
Tel. 02/734 55 42

20 - 26 m. Augusti a° 1989°, Morsaci (Morschach) in HELVETIA

qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.

Ad quod participandum, interroganda est:

Drix Sigrides ALBERT
Universität des Saarlandes
Fachbereich 6.3
D-6600 SAABRÜCKEN 11

IN FINNIA : seminarium latinitatis vivae instituetur Granivici (Jyväskylä) in Finnia per biduum diebus 3°-4° m. Iulii a° 1989°, auspiciis Administrī Publici Educationis. Ad plura comperienda interrogandus est:

Prof. Thomas PEKKANEN
Adolf Lindforsin tie 3 B 74
SF-00400 HELSINKI 40

ITER LATINUM

21 - 28 m. Iulii a° 1989°

Exeunte proximo mense Iulio Fundatio Melissa instituit peregrinationem Latinam in Italiā Septentrionalē ubi sodales Itali nos in nonnullis locis singularibus ducent. Comitante Dr P.C. Eichenseer, iter fiet seminarium ambulans. Haec pulcherrima loca lustrabuntur: Mediolanum, Brixia, Sirmio, Lacus Benacus, Verona, Mantua, Bononia, Parma, Castellum Arcuatense, Cremona, Placentia, Cartusia Papensis, Papia.

Ad quod participandum interrogandus est:

Gaius LICOPPE
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles
Tel. 02/734 55 42

FERIAE LATINAЕ

22 - 29 m. Augusti a° 1989°, Nicaeae habebuntur in Dioecesis Nicensis Seminarii Aedibus, unde pulcherrimus prospectus praebetur ad mare Mediterraneum. Schedae inscriptionis rogandae sunt a:

Clément DESESSARD
Résidence des Collines, C 9
Rue Léo Brun
F-06210 Mandelieu
Tel. 93 49 01 91

SCHOLAE FRISINGENSES

28 m. Iulii - 2 m. Augusti a° 1989°.

Hae scholae omnibus, qui Latine loqui aut ipsi solent aut discere cupiunt, opportunitatem commodissimam huius artis exercendae praebent. Viginti fere scholarchae diversissima argumenta in variis scholis tractabunt.

Schedae inscriptionis petendae sunt a:

Prof. Dr Wilfried STROH
Universität, Institut für Klass. Philologie
Gesschwister-Scholl-Platz, 1
D-8000 München 22.

SEPTIMANA LATINA

13 - 19 m. Augusti a° 1989°.

Mechtildis Hofmann et Robertus Maier hoc anno primum instituent Septimanam Latinam Amoeneburgi in septentrione Hassiae, ad quam imprimis iuvenes et adulescentes invitant. Interrogandus est:

Robertus MAIER
Dresdener Strasse, 10
D-6070 Langen.